



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 104. Commoda in Gallos ex hoc fædere redundantia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

pollicitatione tamen scripto data, has ^{Sæcul. XV.} A.C. 1494.
 urbes, expugnata Neapoli, Petro a Gal-
 lis integra fide reddendas. Præterea
 promissum, Florentinos Regi ducenta
 aureorum millia, capto regno iterum re-
 stituenda mutuo daturus, interea vero a
 Rege census usque ad ultimum restitu-
 tionis diem esse solvendos. Hisce ar-
 ticularum utrinque firmatis, ante omnia jux-
 ta foederis pacta priores urbes traditæ,
 demum Rege Florentiam ingresso reli-
 quæ duæ Gallorum præfidiis consignatæ
 fuerunt. Tantam Petri Medicæi facili-
 tatem mirabantur omnes; illi tamen,
 quibus ejusdem indoles magis perspecta
 erat, bene noverant, Petrum non minus
 ad remota pericula audacem, atque in-
 trepidum, quam ad imminentiâ ignavum,
 timidumque existere.

§. CIV.

*Commoda in Gallos ex hoc fœdere
 redundantia.*

Petri submissione restitutæ fuerunt Gal-
 lorum res, quæ, si Medicæus horum
 exercitum Florentiis quiete expectasset,
 omnino desperatæ fuissent; Carolus enim
 vix Seresanelum pervenerat, cum jam-
 jam annona copiis ejus ægre ad ter-
 tiam diem sufficeret, eoquod illius ter-
 ræ, quam occupabant, sterilitas omne
 P p 5 genus

Sæcul. XV. genus alimenti eis negaret; cum econ-
A.C. 1494. tra obsessi ad semestre, & amplius com-
 meatus copia abundarent, atque ad re-
 pellendos hostium impetus tanto præsi-
 diariorum numero muniti essent, ut fa-
 cile cunctos Gallorum conatus eludere
 potuissent. Ea etiam tum erat rerum
 facies, ut Galli, si obsidionem solvissent,
 ad sua reverti compulsi fuissent, eisque
 Ludovicus recuperato Mediolanensi Du-
 catu, nullam omnino opem præstitisset,
 utpote quos penitus attritos, flocci ha-
 buisset. Ast Petri Medicæi error illis
 salutis fuit, ejusque ignavia planam illis
 ad Hetruriæ & Romandiolæ ditiones
 viam stravit, illosque Principes, qui Re-
 gis exercitum aditu arcere potuissent, pe-
 ne inermes reddidit. Equidem Catha-
 rinam Sfortiam, quæ tutorio nomine pro
 Hieronymo Riario ejus filio urbibus Fo-
 ro Cornelii ac Forolivio imperabat, Fer-
 dinandus junior Calabriæ Dux vehemen-
 ter concitabat, ut sese Gallorum pro-
 gressibus opponeret. Ast ipsa neutri
 parti addictum constanter servavit ani-
 mum, urbiumque suarum portas Gal-
 lis ultro aperiri jussit.